

FUNDAMENTVM

calculum reuocentur atq; reducantur. Cuius reductionis ratio in nouis nostris, atq; hiscè nouis nouis hypothesibus respondentibus tabulis, suo tempore apparebit.

XIV. Atq; hec quām breuissimè de tempore: sed quid est ipsum tempus? Tempus est successio aei Mundani è præterito per præsens, tanquam per punctum, in futurum. Ideoq; tempus mensura motus secundum prius & posterius vulgo definitur: Tempus enim è motu solari & terreno præcipue suam mensuram capit.

XV. Ideoq; omnium corporum mobilium in rerum naturâ, in vniuersum octo existere constat: quorum nomina Sol, Luna, Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius: & Terra, quæ quidem eundem semper suum obtinet locum: sed non eundem semper, respectu cœli seu stellarum fixarum, situm. Ideoq; hæc de mobilibus: sequitur de immobilibus.

XVI. Corpora deniq; Mundana immobilia sunt, quæ in eodem semper loco persistunt, seu eidem loca fixa inherent: vt sunt omnes cœli seu in cœlo apparentes stellæ præter diætas quinq; & duo luminaria, (id est, solem & lunam) reliquæ: quæ certis locis aëri infixæ tenentur, ideoq; vt antè patuit, fixæ dicuntur.

XVII. Tota autem fixarum stellarum uestio quo vinculo cohærens atq; coagmentata connexio seu comprehensio (seu potius omnes stellæ fixæ simul sumptæ) Aplane, vulgo firmamentum, cœlumq; stellatum, & primum mobile dicitur.

XVIII. An vero stelle fixæ equali an inæquali altitudine seu distantia à terrâ in aëre collocatae atq; dispositæ sint, nobis quidem non constat, nec constare mortalibus neq; humanæ ratiuncula sagacitate excogitari potest. Coniecturam tamen facimus, maiores apparentes terra esse propinquiores: è contrario vero minores apparentes à terrâ esse remotiores, longioreq; interuallo ab ipsâ fore distitas. Atq; hoc concessso, omnes forsitan existere eiusdem ferè magnitudinis: sin vero sint in eadem altitudine seu à terreno globo distantia per aëra sparsæ atq; dispositæ, sensus oculorum seu visus conuincit arguitq;, eas non fore eiusdem magnitudinis. Sed horum vtrumlibet vnicuiq; pro suo Genio atq; ingenio credere fas est. Et si quis habeat evidentiores ac sufficietes ea de rationes, in medium quæso ferat atq; communicet. Prætereaq; plurimas stellas fixas, imò maximam earū partem, propter aut nimiam earundem à terreno globo distantiam, aut ob modicam quantitatem seu paruitatem, non apparere creditus: earumq; deniq; numerum, sarcis literis id testantibus, omnino esse infinitum, infinitamq; multitudinem.

XIX. Ad sextam tamen usq; magnitudinem (tot enim diuersæ magnitudines stellarum ab Astronomis inducuntur) earum numerum exploratum habemus atq; compertum, qui nimis est 1022. Eaq; in 48. Icones seu imagines, appellationis atq; discriminis ergo, distinctæ sunt. Sunt enim magnitudinis primæ 15. secundæ 45. Tertiae 208. Quartæ 474. Quintæ 216. Sextæ 50. Nebulosæ 5. obscuræ 9. Quarum Catalogum erroribus ac mendis plurimis ante scatentē, Illustrissimus Princeps Hassia maximo studio ac plusquam Herculeo labore correxit & emendauit. Pro quo summo ac maximo beneficio alteri huic stellifero atq; orbifero Athlanti omnis ventura posteritas meritas ac dignissimas habitura sit gratias.

XX. Correcto enim atq; emendato hoc stellarum fixarum Catalogo, locisq; ac stiribus earum probe exploratis, admodum iam facilis patet aditus ad explorandos & investigandos planetarum motus: id quod ante non erat integrum: inde tot fortassis errores ac menda, quibus tota hucusq; scatet Astronomia, irrepsero. Ideoq; iam facilius ac certius ipso-